

Author: Doni, Giovanni Battista

Title: Praefatio Quarta

Editor: Massimo Redaelli

Source: Florence, Biblioteca Marucelliana, MS A.295, f. <1r>

[-f.<1r>-] Praefatio Quarta

Postrema Recitatione quam ante octiduum hoc eodem in loco habui, propositum suum
<o>stendendi antiquae Musicae [Musice ante corr.] praestantiam hodiernaeque defectus strenue
urgens Charidorus communibus quibusdam argumentis usus est: partim ex conditione huius saeculi
ductis, quae et huic facultati et omnium liberalium artium progressui multas ob causas aduersatur;
partim ex uetusti illius comparatione. quo dum animo soluto ac libero mortales in agris degentes
pastoritiam uitam colebant simplicem quamdam musicae speciem, sed elegantem nihilominus
inuexerunt: quod repuerascente quodammodo terrarum orbe proximis saeculis contra euênit deinde
cum allatis aliquot [[e]] rerum nuper Romae <g>estarum exemplis, detexit quantum huius
disciplinae incrementis officiat quae magnatum <in>scitia qua mutua artificum inuidia, contra
<enim quanto stud>io atque ardore uetustissimi Graecorum populi eti<a>m asperiores atque
agrestes; ac [deinde supra lin.] praecipuae eorum <c>iuitates ac Reges, postremoque Romani
Tuscique ueteres disciplinam hanc exercuerint, prolatis multis testimonijs docuisset: abruptum
sermonem his uerbis redordiri cepit